



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Avla ... Thesavorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1657**

§. 54. Et sedeatis super thronos. v. 28.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

pulorum spirituali morbo medicinam fecisti pulcherrimam , ita eo quod  
ipsis contendentibus de præcedentia, reuera communem omnibus fecisti  
præcedentiam in tuo regno, & sic satiasti eorum appetentiam, ut neganda  
quod male petebunt, aliud multo melius & excellentius eis concesseris bo-  
num. O bone Iesu, video quid intersit inter tuæ gratiæ dona, humilio me  
sub te, Sacerdotum priuilegium cum celebro ad altare tuum gratanter ac-  
cepto, cum non celebro humiliiter una specie sum contentus, si hoc non  
facio, in tuo regno aliam dispositionem induco, quam non induxisti tu, ne-  
que pater tuus. Verbo, superbio, de maioratu contendo. Absit obsecro ista  
contentio procul, quam wiclef, & Huss, & Lutherus & Caluinus restau-  
ravit, & sepræntrionales regiones in seditionem concitarunt. Absit,  
Absit ista contentio.

## §. 54. Et sedeat is super thronos. v. 28.

Iam sequitur secundum priuilegium Apostolis de maioritate conten-  
dentibus concessum, nempe quod præter delicias mense Christi iam expli-  
cata, dabite etiam priuilegium sedendi in regno suo super thronos, nimi-  
rum uti principes & Reges in templis habeantur, dum eis throni eriguntur,  
quales videmus primum fieri pro Episcopis. 1. pro Sacerdotibus Sacrifi-  
cantibus solemniter iuxta altaria, quæ vti & ipsa altaria maxime umbella su-  
perne testa reuera sunt throni. 2. pro Sacerdotibus confessiones auditur  
confessionales throni. 3. pro Sacerdotibus concionatoribus cathedrae excellentes. 4.  
pro psallentibus in choro stalla magnifica, ut nihil dicam de alijs excellen-  
tij & prærogatiis, quas Episcopi & sacerdotes in Ecclesia Christi obti-  
nuerunt, hodieque tenent, & postea in cælo obtainere posunt, si rite suo  
ministerio fungantur, in terris,

**D**omine Iesu laudo & glorifico tuam sapientiam & bonitatem, quod  
cum Apostoli tui contenderent de maioritate, & vellent eam arrogari  
vni soli, quisque sibi, tu litem diremisti, & omnibus dedisti thronos regales,  
quos si velit, quisque obtinere potest, & reuera de facto multa millia homi-  
num tenent, qui in Pontifices, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos &  
sacerdotes sunt promoti. Hæc est admirabilis inuentio tua Domine Iesu,  
vilia quærentibus meliora offerre, & pro priuatis offerte communia.

## §. 55. Iudicantes duodecim tribus Israel. v. 30.

Iam Maiestatem Ecclesiæ suæ futuræ prælatis, siue dignitatem assig-  
nauerat, cum etiam iurisdictionem adiicit, dicendo, iudicatores esse. sed  
quale iudicium sit intelligendum hoc loco, & quomodo super XII. tribus,

G

&amp; non